UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

110. An si prælatus regularis neget pio confessario licentiam absolvendi subitu[] à reservatis, possit adhuc confessarius illum absolvere? Et si in dicto casu licentia[m] neget Prælatus, an peccet ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76429

Visual Library

tam Decretum, quàm declaratio loquuntur de iis Confeſſariis, qui ſæcularium confeſſiones audiunt, & ideo ſub iis ſæcularibus non comprehenduntur illi, qui Clauſtrum ſunt ſtatim ingreſſuri. Cum eo tempore ego nouitiorum curam haberem, conſului ſuper hoc Anſelmum à Monopolo, tunc Ordinis noſtri in Curia Romana Procuratorem, qui poſtea ad dignitatem Cardinalitiam promotus fuit, & de mente eiuſdem Clem. VIII. reſpondit, præfætos nouitios abſolui poſſe a caſibus Epiſcopo reſeruatis eo modo, quo abſolui poterant prius, quàm memoratum Decretum emanaſſet. Ita Vecchius.

RESOL. CIX.

An Confeſſarius, ſi petat à Superiore Regulari poteſtatem abſoluendi aliquem à reſeruatis, ſi neget, poſſit pœnitentem illum abſoluere, pro illa vice?

Et difficultas eſt circa prædictam dictionem, pro illa vice, *an intelligenda ſit pro vna vice tantum?*

Et an, ſi Confeſſarius petit à Superiore Regularium licentiam abſoluendi à reſeruatis aliquam perſonam particularem, poſſit etiam illam abſoluere a peccatis reſeruatis commiſſis poſt licentiam obtentam pro prima vice?

Et quid, ſi talis licentia fuerit obtenta à pœnitente?

Et ſi Confeſſarius eam petat pro vna perſona, an poſſit ea vti pro ſua perſona?

Et an Regulares poſſint ſine licentia ſuorum Prælatorum ſemel abſolui ab omnibus reſeruatis, & cenſuris, imo, & diſpenſari in irregularitatibus excepto homicidio, & mutilatione voluntaria? Ex part. 3. tr. 2. Reſol. 126.

Sup. hoc in Reſ ſeq & in tom. 1. tr 3. Reſ. 39 §. 3. prope fin m, à verſ. Lo. miſmo. & ſeq. & ibi in R. 160. & in tom 4. tr. 8. R 43. §. Vnde.

§. 1. RESpondent aliqui probabiliter, quòd Superior requiſitus à pio, & docto Confeſſario, nempe à confeſſario approbato, & expoſito ad confeſſiones, ad abſoluendum ſuum ſubditum ab aliquo reſeruato, vt ipſe abſque iuſta cauſa licentiam neget, poſſe dictum Confeſſarium ab eo peccato reſeruato illum abſoluere, quando inſtat neceſſitas communicandi, aut celebrandi, & ſcandalum adeſt, niſi communicet, vel celebret; & in hoc caſu talis Confeſſarius abſoluit ex licentia Prouincialis, Generalis, vel Papæ. Cæteras rationes videbis apud Fagundez *precept. 3. lib. 3. cap. 9. num.* 171. Henriquez *lib. 3 capite 13. num. 6.* & alios, licèt contrariam ſententiam teneant Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 19. num.* 30. & alij. Sed quidquid ſit de hac opinione, hodie extat deciſio Pauli V. quam refert Naldus *in ſumma verb. Religioſus, num.* 44. vbi Sanctitas ſua deinceps declarauit, vt ſi huiuſmodi Regularium Confeſſariis caſus alicuius reſeruati facultatem petentibus dare Superior noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarij illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, abſoluere. At ex illis verbis, *huiuſmodi Regularium Confeſſariis*, &c putat Leone *vbi infrà, num.* 40. hoc efficere non poſſe, niſi Confeſſarios domus, & Monaſterij deputatos à Superiore.

Sup. hoc pro illa vice in Reſ 3 not. præteritæ §. penult. & vlt.

2 Verùm extat difficultas circa prædictam deciſionem Pauli V. an illa verba, *pro illa vice*, intelligenda ſint pro vna vice tantùm; Alphonſus Leone *tract. de offic. & poteſt. Confeſſ. tom. 2 recollect. 6. n.* 178. docet hoc non eſſe certum, vt patet ex illa quæſtione, an poſſit quis lucrari pluribus vicibus Iubilæum extraordinarium, concedi ſolitum cum ſimili clauſula, *pro hac vice*, nam multi docent (& me ipſum citant *in tract. 3. miſcellan. reſol* * 49.) poſſe eum, qui in prima hebdomada lucratus fuit Iubilæum, etiam lucrari, & abſolui in ſecunda: ergo à fortiori in caſu noſtro; tum quia quando Pontifex indulget, vt pro illa vice Regularis poſſit abſolui à reſeruatis, non ponit dictionem aliquam taxatiuam; ſicuti in Bullis Iubilæi, vbi ſunt verba illa, *pro hac vice*, vnde magis videtur reſtringere dictio iſta *hac*, quàm *illa*. Ita Leone *vbi ſupra*.

* Quæ nunc eſt in tom. 4. tr. 4 R 55. & in Reſ. 56. & 57. & in to 1 tr 3 R 60. ex doctrina § Accedit.

3. Tamen aliqui verba illa Pauli V. tantùm pro vna vice intelligenda eſſe docent, & ideo Tamburinus *de iure Abbatum, tom. 2. diſp. 13. quæſt. 8. num. 3.* ſic ait. Si Confeſſarius non habens facultatem pro reſeruatis, illam ab Abbate pro aliquo caſu peteret, & Abbas concedere negaret, poſſet nihilominus Confeſſarius, *pro illa vice tantum* pœnitentem Regularem, etiam facultate non obtenta, abſoluere, vt conceſſit Paulus V in Decretis Generalibus pro Regularium reformatione editis. Hæc Tamburinus.

4. Notandum eſt etiam hic obiter primò, quòd ſi Confeſſarius petat licentiam à Superiore Regularium abſoluendi à reſeruatis aliquam perſonam particularem, poteſt etiam illum abſoluere à peccatis reſeruatis, commiſſis poſt licentiam obtentam pro prima vice, ſecus ſi talis licentia fuerit obtenta à pœnitente. Ita Barboſa *de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 11. numer. 9.* Leone *vbi ſuprà de poteſt. Confeſſ. tom. 2. recollect. 11. num.* 183. qui etiam *recollect. 6. num.* 131 cum Florono *de caſ. reſeru. c 3. § 1. num* 1. notat, quòd Confeſſarius ſi petat facultatem à Superiore pro vna perſona, poteſt vti pro ſua perſona.

5. Nota etiam ſecundò, quòd Regulares ſemel ſine licentia ſuorum Prælatorum poſſunt abſolui ab omnibus reſeruatis, & ita obſeruat Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 19 num.* 7. ex quodam priuilegio Minorum, qui poſſunt eligere de eadem Obſeruantia Confeſſorem, qui de omnibus peccatis reſeruatis, & cenſuris poſſit illos abſoluere; imò, & diſpenſare in irregularitatibus, excepto homicidio, & mutilatione voluntaria; quod priuilegium cùm generale ſit, complectitur omnia peccata, etiam in ipſa Religione reſeruata; cúmque ex parte perſonæ eligendæ nullam aliam conditionem requirat, niſi quòd ſit eiuſdem Ordinis, non videtur amplius reſtringenda, nec poſtulanda ſpecialis licentia Prælati. Sed nihilominus probabile eſt, Confeſſorem ſic eligendum, debere eſſe ex approbatis, & expoſitis à Prælato Religionis ad audiendas confeſſiones ſuorum ſubditorum. Hæc omnia Suarez, quæ ſunt valde notanda.

RESOL. CX.

An ſi Prælatus Regularis neget pio Confeſſario licentiam abſoluendi ſubditum à Reſeruatis, poſſit adhuc Confeſſarius illum abſoluere?

Et ſi in dicto caſu licentiam neget Prælatus, an peccet non ſolum contra Charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam? Ex p. 6. tr. 6. & Miſc. 1. Reſ. 56.

§. 1. ALibi affirmatiuam ſententiam aliquos docere adnotaui: ſed nouiſſimè Fagundez *de Præceptis Decalogi, tom. 1. lib. 1. cap. 45. num. 15* retractans ſe, quod aſſeruerit *in lib. 3. de præceptis Eccleſiæ, cap. 9. num.* 17. affirmatiuam ſententiam eſſe probabilem, prorſus negatiuæ ſententiæ adhæret, aſſerens affirmatiuam ſententiam periculoſam & improbabilem eſſe: ſed quomodo id poſſit dicere neſcio, cùm Pontifex Paulus V declarauit, vt ſi Regularium Confeſſariis caſus alicuius reſeruati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarij illa vice pœnitentes etiam non obtenta facultate à Superiore abſoluere. Et ita præter Coriolanum, Henriquez, & Rodriquez à Fagundez citatos, & alios à me adductos *in 3. part. tract. 2.* * *reſol.* 126. tenet etiam hanc ſententiam Texeda *tom. 1. diſp. 11. lib. 3.*

lib. 3. *tract.* 3. §. 4. *controu.* 20. *num.* 129. Ioannes Maria Nouarius *in ſumma Bullarum, tit. de caſib. reſeruatis, num.* 1. & Crouſers *in Regulam S. Franciſci, cap.* 7. *lect.* 17. *fol.* 644. vbi ſic aſſerit. Quicquid autem ſit de obligatione Superioris ad dandam, vel negandam talem facultatem: arbitror hoc remittendum arbitrio prudentis Confeſſarij, ſicut etiam remittit Papa Clemens VIII. *in Bull. de reſeruat.* Imò Paulus V. in Capitulo Generali Fratrum Capuccinorum Romæ congregato anno 1606 declarauit & declarat deinceps, vt ſi eiuſmodi Regularium Confeſſariis, petentibus facultatem alicuius caſus reſeruati, Superior eandem dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarij illa vice pœnitentes Regulares abſoluere: etiam non obtenta facultate à Superiore. Vt autem Confeſſarius iudicet prudenter facultatem concedendam, ſatis eſt, inquit Suarez, quòd nulla ſpecialis ratio ad eam negandam occurrat, vt autem iudicet negandam, ſemper interuenire debet aliqua ratio, quæ id requirat: quia minus periculi eſt in concedenda, quàm in neganda. Imò etiamſi interueniret ſufficiens ratio ad negandam, ſi tamen conſtat ſubditum nullo modo velle Superiorem adire, nec ad id poſſe induci: tunc Superior nunquam debet negare facultatem, nec poteſt licitè, cùm enim reſeruatio ſit quædam medicina ſubditi, ſi cum rigore applicata cedat in perniciem ſubditi, temperanda eſt. Ita Crouſers.

2. Et ſi circa hoc vltimum dictum Crouſers aſſeras oriri dubium, quomodo Prælatus debeat condeſcendere, & dare licentiam ſubdito, qui obfirmato animo non vult Superiorem adire, tunc enim licentia illa non videtur vtilis ſubdito, qui certè non eſt diſpoſitus ad Confeſſionis Sacramentum, dum habet propoſitum non adeundi Superiorem, quem adire deberet, vt impleret Chriſti præceptum præmittendi Confeſſionem ante ſuſceptionem Euchariſtiæ, ſuppono enim non adeſſe cauſam iuſtam ex timore alicuius mali extrinſeci, ob quam poſſit peccatum illud non confiteri. Non ergo ſubuenitur ſubdito conceſſa facultate, cùm non detur illi debita diſpoſitio ad Sacramentum, quæ illi deerat; cùm non habeat propoſitum ſeruandi illud præceptum Chriſti, caſu quo Superior licentiam negaſſet.

3. Reſpondeo cum P. Ioanne de Lugo *de Sacramento pœnitent. diſput.* 20 *ſect.* 10. §. *num.* 239. Si hoc argumentum eſſet admittendum, reprobaret quidem Praxim Prælatorum, & ipſius Summi Pontificis, qui ad ſubueniendum eiuſmodi infirmitati ſubditorum, qui nolunt proprio Sacerdoti integrè confiteri; & ea de cauſa confeſſionem ſacrilegam ſæpè faciunt, & in ſtatu peccati per longum tempus miſerè iacent, mittere ſolent aliquando Confeſſarios extraordinarios cum plena poteſtate abſoluendi, vel per Iubilæum, aut Bullam, vel alio modo ſubditis facultatem concedunt eligendi Confeſſarium cum poteſtate abſoluendi à reſeruatis, in quibus procedit eadem difficultas: nam illi ſubditi non videntur poſſe tunc facere confeſſionem validam ex vitalis facultatis; cùm eis deſit diſpoſitio debita, nempe propoſitum ſeruandi illud Chriſti præceptum, quod de facto non ſeruarunt, nec ſeruaſſent, niſi hanc facultatem habuiſſent.

4. Debemus ergo reſpondere facultatem illam multum prodeſſe ſubdito. Primò quia plerumque nondum decreuit Chriſti præceptum violare; ſed ob difficultatem vacillat; & inſtat iterum atque iterum pro licentia obtinenda: & tunc eius Paſtor debet manum vacillanti porrigere, & præcauere ruinam, cuius periculum videt, concedendo licentiam, ne Chriſti præceptum violet. Secundò licèt iam ſubditus decreuit obfirmato animo Superiori non confiteri, adhuc prodeſt facultas conceſſa: quia ſublata difficultate, animo quieto & tranquillo, faciliùs concipitur poſtea dolor, & propoſitum neceſſarium ad valorem Sacramenti: faciliùs enim proponit pœnitens propoſito in genere, & circa difficultatem non præſentem, nec explicitè propoſitam, quàm diſtinctè circa obiectum præſens arduum & difficile. Fateor tamen periculum plerumque eſſe, ne pœnitens careat diſpoſitione debita, qui proximè antea nolebat obſeruare Chriſti præceptum de confeſſione præmittenda, & data licentia confiteri alteri: quare accuratè & ſuauiter diſponendus eſſet priùs à confeſſario ad verum dolorem & propoſitum concipiendum; negare enim non poſſumus deeſſe illi debitam diſpoſitionem, niſi ex animo deleat efficaciter, quòd Chriſti præceptum ſpreuerit, & confeſſus non fuerit, provt ex præcepto debebat. Sufficiet tamen, vt dixi, dolor generalis (ſi verus dolor ſit) de omnibus peccatis commiſſis. Hæc omnia Pater Lugo. Cùm quo etiam notandum eſt contra Suarez *tom.* 4. *diſputat.* 30. *ſect.* 4. *numer.* 7. & 8. quòd quando ex licentia negata timetur graue ſubditi detrimentum; licèt id totum ex ſua fragilitate vel duritia oriatur, peccare Prælatum, ſi licentiam neget non ſolùm contra charitatem; ſed etiam contra iuſtitiam.

RESOL. CXI.

Quidam Regularis petiit à ſuo Superiore authoritatem abſoluendi à reſeruatis pro vna perſona, quæſiuit à me, vtrum in ſua facultate comprehendi poſſit ipſe petens?

Et ſi Vicarius Epiſcopi, Prior, vel alius quiſque, qui à ſuo Superiore habet facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis, vna cum poteſtate ſubdelegandi, dato quod ipſe incidat in caſu reſeruato à ſuo Epiſcopo, vel Superiore, an poſſit de illo caſu abſolui ab eo, quem ipſemet delegauerit? Ex part. 8. tractat. 7. & Miſc. Reſol. 91.

§. 1. NEgatiuè reſpondet Graffius *in Append. ad deciſ. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 27 tamen Pro parte affirmatiua rationes aliquas adducit. *Primò*, quia nemo tenetur ſe ipſum prodere, *cap. quis aliquando de pœnit. diſtinct.* 1. Tum, quia in generali ſermone comprehenditur etiam perſona ipſa quando loquens concipit in perſona alterius, *l. Paulus reſp.* §. *fin. ff. de pign.* vt ſi diceret. Eſt quædam perſona, quæ indiget veſtra auctoritate, placetne vobis illam dare? Secus verò ſi diceret, Rogo te, vt des facultatem pro vna perſona. Hanc etiam ſententiam docet Floronus *de caſ. reſeru. part.* 1. *cap.* 3. §. 1. *num.* 3. & Villalobos *in ſumma, tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 64. *num.* 4. vbi ſic aſſerit. *Quando el Prelado concede à vno la antoridad ſin reſtrincion ninguna, es viſto concederla actiua y paſſiua*, & Leone *de officio, & potſtate Confeſſoris, tomo* 2. *recollectione* 6. *numer.* 131. vbi habet, quòd quando ſubditus petit facultatem à ſuperiore pro vna preſona pro caſibus reſeruatis, poteſt vti pro ſua perſona.

Sup. hoc ſuprà in R. 109. § Notandū. in fine, & in tom. 1. tr. 5. R. 15. §. vlt. à lin. 5. & verſ. Sed quid. Et in Reſ. 67. §. vlt.

2. *Notandum* eſt etiam hîc obiter contra Graffium *loco citato, num.* 22. Vicarium Epiſcopi, Priorem, vel alium quemcumque, qui à ſuo ſuperiore habet facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis vna cum poteſtate in caſum reſeruatum à ſuo Epiſcopo, vel ſuperiore, poſſe de illo caſu abſolui ab eo, quem ipſemet Vicarius, vel Prior delegauerit. Ita Vgolin. *in tract. de officio, & poteſtate Epiſcopi, cap.* 39. *num.* 2. *verſ. contrariam opinionem.* Anton. Naldus *verb. caſus, num.* 6. Floron. *de caſ. reſeruatis, part.* 1. *cap.* 3. §. 1. *numer.* 3. & probatur, quia facultas conceſſa Vicario eſt generalis, ita vt poſſit ſubdelegare quemcumque voluerit

Sup. contētò in hoc §. in Reſ. 3. not. præteritæ in eius §. 1. per totum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN